

# APPENDIX

## PRO DICECESI VICENTINA

Die 22 Januarii

S. VINCENTII

MARTYRIS

PATR. PRINC. CIV.

ET DIOEC. VIC.

Duplex I classis cum Oct. Comm.

INTROITUS

Ps. 20

**I**n virtute tua, Dómine, lætabitur justus, et super salutare tuum exsultabit vehementer; desiderium ánimæ ejus tribuisti ei.

Ps. ibid. — Quóniam prævenisti eum in benedictiōibus dulcéinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretioso.

V. Glória Patri.

ORATIO

**A**désto, Dómine, supplicatiōibus nostris: ut, qui ex iniquitáte nostra reos nos

esse cognoscimus, Beáti Mártyris tui Vincéntii intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Et, in Missis privatis tantum, fit comm. S. Anastasii Martyris.

ORATIO

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, intercedente beáto Anastásio Mártyre tuo, et a cunctis adversitatibus liberémur in corpore, et a pravis cogitationibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

II Cor. 9, 6-10

**F**ratres: Qui parce séminat, parce et metet; et qui séminat in benedictiōibus, de benedictiōibus et metet. Unusquisque prout destinávit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate; hílarem enim datórem díligit Deus. Potens

est autem Deus omnem grá-tiam abundáre fádere in vobis; ut in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habéntes, abundétis in omne opus bonum, si-cut scriptum est: Dispér-sit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi. Qui autem adminístrat semen se-minánti, et panem ad mandu-candum præstábit, et multipli-cábit semen vestrum, et augé-bit increménta frugum justi-tiæ vestræ.

## GRADUALE

Ps. III

Beátus vir, qui timet Dómi-num, in mandátis ejus cupit nimis.

¶. Potens in terra erit se-men ejus, generatio rectórum benedicétur. Allelúja, allelúja.

¶. Ps. 20. — Posuísti, Dó-mine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Alle-lúja.

Post Septuag. omissis Allel. et ¶. dicitur:

## TRACTUS

Ps. 20, 3-4

Desidérium ánimæ ejus, tri-buísti ei: et voluntáte labiór-um ejus non fraudásti eum.

¶. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcéinis.

¶. Posuísti in cápite ejus co-rónam de lápide pretióso.

¶ Sequéntia sancti Evangélīi secúndum Lucam.

Luc. 21, 9-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audié-ritis prælia et seditiónes, nolí-te terréri: opórtet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Sur-get gens contra gentem, et re-gnum advérsus regnum: et terraemótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cælo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur, tradén-tes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et præsides propter nomen meum: contín-get autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris, non præmeditári que-mádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os et sapién-tiam, cui non póterunt resiste-re et contradícere omnes ad-versárii vestri. Tradémini au-tem a paréntibus et frátribus et cognátis et amícis, et morte affícient ex vobis: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: et capíllus de cápite vestro non períbit. In patién-tia vestra possidébitis áimas vestras.

CREDO per totam Octavam.

## OFFERTORIUM

Ps. 8, 6-7

**G**lória et honóre coronásti eum, et constituísti eum super ópera mánum tuárum, Dómine.

## SECRETA

**M**únera tibi, Dómine, nostræ devotíonis offérimus; quæ pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, redántur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Pro S. Anastasio

## SECRETA

**A**ccépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cuius solemnitáte defértur. Per Dóminum.

## COMMUNIO

Matth. 16, 24

**Q**ui vult venire post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

## POSTCOMMUNIO

**Q**uásimus, omnípotens Deus, ut qui cælestia ali- ménta percépimus, intercé- dénte Beáto Mártyre tuo Vin- céntio, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dó- minum.

Pro S. Anastasio  
POSTCOMMUNIO

**R**efécti participatióne mún- ris sacri, quásimus Dó- mine, Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercé- dénte beáto Anastásio Márt- ye tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 29 Januarii  
In Octava  
S. VINCENTII M.

Duplex majus  
MISSA UT IN FESTO  
ORATIO

**E**xcita, Dómine, in Ecclé- sia tua Spíritum, cui Beá- tus Vincéntius Levítá servívit; ut, eódem nos repléti, studeámus amáre quod amávit, et ópere exercére quod dócuit. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Et fit comm. S. Francisci Salesii.

## ORATIO

**D**eus, qui ad animárum salú- tem beátum Francíscum Confessórem tuum atque Pon- tíficem ómnibus ómnia factum esse voluisti: concéde, propí- tius: ut, caritatis tuæ dulcédi- ne perfúsi, ejus dirigéntibus mónitis ac suffragántibus mé-

ritis, ætérrna gáudia consequámur. Per Dóminum.

## SECRETA

**S**acrifíciu[m] nostru[m] tibi, Dómine, quásu[m]us, Beáti Vincéntii precátio sancta concíliet; ut cujus honóre solémniter exibétur, ejus méritis efficiátur accéptum. Per Dóminum.

Pro S. Francisco

## SECRETA

**S**ancti Francíscii Pontíficis tui atque Doctóris nobis, Dómine, pia non desit orátio: quæ et múnera nostra concíliet, et tuam nobis indulgén-tiam semper obtíneat. Per Dóminum.

## POSTCOMMUNIO

**S**úpplices te rogámus, omní-potens Deus, ut quos donis cælestibus satiásti, intercedénte Beáto Vincéntio Mártyre tuo, perpétua protectióne custódias. Per Dóminum.

Pro S. Francisco

## POSTCOMMUNIO

**U**t nobis, Dómine, tua sacri-fícia dent salútem: beá-tus Francíscus Póntifex tuus et Dóctor egrégius, quásu[m]us, precátor accédat. Per Dóminum.

Die 17 Februarii

**Ss. DONATI  
SECUNDIANI  
ROMULI ET SOC.**

## MARTYRUM

Duplex

Missa INTRET de Com. plur. Mm.

## ORATIO

**D**eus, qui mirábilis es in Sanctis tuis, concéde, propítius: ut Sanctórum Mártyrum tuórum Donáti, Secundiáni, Rómuli, et Sociórum, quorum præsídio munímur, virtútem imitémur. Per Dóminum.

## SECRETA

**D**ivíno illo igne, quásu[m]us, Dómine, cor nostru[m] ár-deat, quo Spíritus Sanctus sanctórum Mártyrum Donáti, Secundiáni, Rómuli, et Sociórum corda divínitus inflammávit. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

## POSTCOMMUNIO

**A**d cælestem mensam cle-ménter admíssi, súpplices te, Dómine, deprecámur; ut, Sanctis Martyribus tuis Donáto, Secundiáno, Rómulo, et Sóciis intercedéntibus, ad vitæ ætérrnae gáudia perveníre mereámur. Per Dóminum.

Die 1 Martii

**B. JOANNÆ MARIÆ  
BONOMO**  
VIRGINIS

Duplex

Missa DILEXISTI de Comm. Virg.

ORATIO

**D**ómine Jesu Christe virtutum ómnium exemplar et præmium, qui Beátam Joánnam Maríam Vírginem tuam admirábili patiencia pro Nóminis tui amóre decorásti: da pópulo tuo, ejus solémnia celebránti, ita sequi vestígia, ut assequátur et præmia. Qui vivis.

SECRETA

**P**lacatiónis hóstia, quam tibi offérimus, Dómine, intercedénte Beáta Joánnna María, optátæ nobis patientiæ plenitúdinem largiátur. Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO

**P**ræsta nobis, omnípotens Deus, ut qui in honórem Beátæ Joánnæ Mariæ cælestia aliménta percépimus, per ejus vestígia gradiéntes, carne mortificáti, facilius ad Te pervenire valeámus. Per Dóminum.



Die 16 Martii

**B. JOANNIS  
DE SURDIS**

EP. VICET. ET CONF.

Duplex

Missa SACERDOTES  
de Comm. Conf. Pont.

ORATIO

**D**eus, qui Beátum Joán nem Confessórem atque Pontíficem, pius et fortis in tuéndis Ecclésiæ júribus reddidísti: da, quæsumus, ejúsdem præcibus, ut in nobis justitiæ et tuæ charitatis ardor numquam extinguáatur. Per Dóminum.

SECRETA

**B**eatí Joánnis Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietati tuæ nos reddat acceptos: ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribúcio comítetur, et nobis gratiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO

**D**eus, fidélium remunerátor animárum: præsta, ut; beatí Joánnis Confessóris tui atque Pontíficis, cuíus venerandam celebrámus festivitatem, præcibus, indulgentiam consequámur. Per Dóminum.

**Die 20 Martii**

**B. MARCI  
DE MONTE GALLO**

CONF.

Duplex

Missa OS JUSTI  
de Comm. Conf. non Pont.

**ORATIO**

**D**eus, qui per Beatum Marcum Confessorem tuum ad tui et proximi amorem fidèles excitasti: quæsumus, ut; ejus precibus et méritis, charitatis opera júgiter exercere mereámur. Per Dóminum.

**SECRETA**

**M**isericors Deus, qui per oblatæ sacrificia æternæ salutis remédia præparasti: concéde, propítius, ut; interveniente Beato Marco, morbos animæ et corporis propulsare valeámus. Per Dóminum.

**POSTCOMMUNIO**

**S**acro múnere refécti, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut; Beati Marci Confessoris tui exémplo, cháritas in córdibus nostris augeátur. Per Dóminum.



**Die 22 Martii**

**S. LEONTII**

EP. VIC. ET CONF.

Duplex

Missa STATUIT  
de Comm. Conf. Pont.

**Die 23 Martii**

**B. ISNARDI  
DE CLAMPO**

CONF.

Duplex

Missa OS JUSTI  
de Comm. Conf. non Pont.

**ORATIO**

**O**mnipotens æterne Deus, qui Sapiéntiæ tuæ luce, tenebras ignorantiæ repellis; áuge, méritis et préci- bus Beati Isnardi Confessoris tui, virtútem Fídei: ut ignis, quem grátia tua fecit accéndi, nullis tentatióibus extinguá- tur. Per Dóminum.

**SECRETA**

**L**áudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratione Sanctórum: quibus nos et præsentibus éxui malis confídimus et futúris. Per Dóminum.

## POSTCOMMUNIO

**R**efécti cibo potúque cælesti,  
Deus, noster, te súpplices  
exorámus: ut, in cuius hæc  
commemoratióne percépimus,  
ejus muniámur et précibus.  
Per Dóminum.

Die 3 Aprilis

**B. BARTHOLOMÆI**  
**DE BREGANTIIS**  
**EP. VIC. ET CONF.**

Duplex majus

Missa SACERDOTES  
de Comm. Conf. Pont.

## ORATIO

**D**eus, qui in Fídei hósti-  
bus ab errórum téne-  
bris ad veritatis lucem  
adducéndis, et in pópolis ad  
pacem et concórdiam revocán-  
dis Beátum Bartholomæum  
Confessórem tuum atque Pon-  
tíficem mirábilem effecísti: e-  
jus intercessióne concéde; ut,  
pax tua, quæ exsúperat om-  
nem sensum, custódiat corda  
nostra in Christo Jesu Dómino  
nóstro. Qui tecum vivit.

## SECRETA

**B**eatí Bartholomæi Confes-  
soris tui atque Pontíficis,  
quásumus, Dómine, ánnua so-  
lémnitas pietati tuæ nos red-  
dat accéptos: ut, per hæc piæ

placatiónis offícia, et illum  
beáta retribútio comítetur, et  
nobis gratiæ tuæ dona concí-  
liet. Per Dóminum.

## POSTCOMMUNIO

**D**eus, fidélium remunerátor  
animárum: præsta; ut  
beáti Bartholomæi Confessó-  
ris tui atque Pontíficis, cujus  
venerándam celebrámus festi-  
vitátem, précibus indulgén-  
tiám consequámur. Per Dómi-  
num.

Die 15 Aprilis

**B. LAURENTINI**  
**SOSSII**

INNOCENTIS ET MARTYRIS

Duplex majus

## INTROITUS

Ps. 8

**E**x ore infántium, Deus, et  
lacténtium perfecísti lau-  
dem propter inimícos  
tuos. Allelúa, allelúa.

Ps. ibid. — Dómine, Dómi-  
nus noster: quam admirábile  
est nomen tuum in univérsa  
terra!

¶. Glória Patri.

## ORATIO

**D**eus, innocéntiæ restitútor,  
pro cujus nómine beáthus  
innocens Laurentínus acerbís-  
simæ mortis supplício a pérfi-  
dis Judæis interémptus est:

præsta nobis, quæsumus; ut: ejus intercedéntibus méritis, ab hujus vitæ contágiis impollúti, ad cælestem pátriam perveníre valeámus. Qui vivis.

### Léctio libri Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Apoc. 14. 1-5

**I**n diébus illis: Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quátuor míllia, habéntes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in fróntibus suis. Et audívi vocem de cælo tamquam vocem aquárum multárum, et tamquam vocem tonítrui magni. Et vocem quam audívi, sicut cítharædórum cítharizántium in cítharis suis. Et cantábant quasi cáanticum novum ante sedem Dei, et ante quátuor animália, et seniores. Et nemo póterat dícere cáanticum, nisi illa centum quadraginta quátuor míllia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum muliéribus non sunt coinquiñati: vírgines enim sunt. Hi sequúntur Agnum quocúmque íerit. Hi empti sunt ex homínibus primitiæ Deo et Agno: et in ore ipsórum non est invéntum mendácium. Sine mácula enim sunt ante thronum Dei.

T. P. Allelúja, allelúja.

V. Apoc. 19. — Laudem dícite Dómino nostro, omnes

Sancti, et qui timétis Deum pusílli, et magni. Allelúja.

V. Ps. 112. — Laudáte, púeri, Dóminum, laudáte nomen Dómini. Allelúja.

In Quadragesima:

### TRACTUS

Ps. 34

Júdica, Dómine, nocéntes me: expúgna impugnántes me.

V. Apprehénde arma, et scutum, et exsúrge in adjutórium mihi.

V. Effúnde frámeam, et conclúde advérsus eos, qui me persequúntur: dic ánimæ meæ: salus tua ego sum.

Extra T. P. per Annum.

### GRADUALE

Ps. 68

Ne avértas fáciem tuam a púero tuo, Dómine, quóniam tríbulor: velóciter exáudi me.

V. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam: propter inimícos meos éripe me. Allelúja, allelúja.

V. Ps. 20. — Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

¶ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 18, 1-10

**I**n illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno cælórum? Ed ádvocans

Jesús párvulum, státuit eum in médio eórum, et dixit: Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis, et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórūm. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic major est in regno cælórūm. Et qui suscéperit unum párvulum talem in nómíne meo, me súscipit. Qui autem scandalizáverit unum de pusíllis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspéndatur mola asinária in collo ejus, et demergátur in profúndum maris. Væ mundo a scándalis. Necésse est enim ut véniant scándala, verúmtamen vae hómini illi, per quem scándalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, absínde eum, et prójice abs te. Bonum est tibi ad vitam íngredi débilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habéntem, mitti in ignem ætérnum. Et si óculus tuus scandalizat te, érue eum, et prójice abs te. Bonum est tibi cum uno óculo in vitam intráre, quam duos óculos habéntem, mitti in gehénnam ignis. Vidéte, ne contemnátis unum ex his pusíllis. Dico enim vobis, quia Angeli eórum semper vident fáciem Patris mei, qui in cælis est.

## OFFERTORIUM

Ps. 85

**D**eus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam, et non proposuérunt te in conspéctu suo. Allelúja.

## SECRETA

**M**únera tibi, Dómine, oblátata sanctífica, et intercéde nte innocénte púero, et Mártyre tuo Laurentíno, per hæc nos a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

## COMMUNIO

Matth. 18

**Q**uicúmque humiliáverit se sicut párvulus iste, hic major est in regno cælórūm. Allelúja.

## POSTCOMMUNIO

**D**eus, in cujus contémpsum impiíssimi Judæi innocéntem púerum, et Mártyrem Laurentínum acerbíssimæ passiónis génuis subíre fecérunt; da fidélibus tuis: ut, qui ejus memóriam pie venerántur in terris, tuæ passiónis fructum cónsequi mereántur in cælis. Qui vivis, et regnas.



**Die 4 Maii**

## S. FLORIANI

MARTYRIS

PATRONI MIN. PRINC.

Duplex majus

Missa PROTEXISTI de Comm.  
unius Martyris Temp. Pasch. Orat.  
ut infra. Fit commem. S. Monicæ  
Viduae.

### ORATIO

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beatitudini Floriani Martýris tui natalitia cólimus, intercessione ejus in tui nóminalis amóre roborémur. Per Dóminum.

Pro S. Monica

### ORATIO

**D**eus mœréntium consolátor, et in te sperántium sálus, qui beatæ Mónicæ pias lácrymas in conversióne filii sui Augustíni misericórditer suscepísti: da nobis, utriúsque intervéntu, peccáta nostra deploráre, et gratiæ tuæ indulgéntiam inveníre. Per Dóminum.

### SECRETA

**M**unéribus nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cælestibus nos munda mystériis, et clementer exáudi. Per Dóminum.

Pro S. Monica

### SECRETA

**A**ccépta tibi sit, Dómine, sacratæ plebis oblátio protuorum honóre sanctórum: quórum se méritis de tribulatióne percepíssse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

### POSTCOMMUNIO

**D**a, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuorum commemoratióne sanctórum, temporáli gratulámur officio; ita perpétuo lætémur adspéctu. Per Dóminum.

Pro S. Monica

### POSTCOMMUNIO

**S**atiásti, Dómine, familiam tuam munéribus sacris: e-jus, quæsumus, semper interventione nos réfove, cuius solémnia celebrámus. Per Dóminum.

**¶** Extra Temp. Pasch. dicitur Missa IN VIRTUTE de Comm. Orationes vero ut supra et seq. Evangelium:

**✖** Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luca 14, 26-33

**I**n illo témpore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et filios, et

fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non bájulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si hábeat ad perficiendum; ne, posteáquam posuerit fundaméntum, et non potúerit perfícere, omnes, qui vident, incípiant illúdere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, et non pótuit consummáre? Aut quis rex iturus committere bellum advérsus álium regem, non sedens prius cōgitat, si possit cum decem míllibus occurrere ei, qui cum vigínti míllibus venit ad se? Alióquin, adhuc illo longe agénte, legatióñem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat ómnibus, quæ pōssidet, non potest meus esse discipulus.

### Die 21 Maii

#### Ss. HADRIANI ET CLEMENTIS MARTYRUM

Duplex

Missa SAPIENTIAM de Comm. plur. Mart. — Orat. Deus, qui nos concedis. — Tempore vero Paschali, dicitur Missa SANCTI TUI de eodem Comm.

### Die 11 Junii

#### Ss. FELICIS ET FORTUNATI

MART. VICET. ET CIV.  
PATR. MIN. PRINC.

Duplex II classis

Missa SALUS de Comm. plurim.  
Mm. et fit commemoratio S. Barnabae Apost.

### ORATIO

**B**eatórum Mártyrum tuorum Felícis et Fortunátinos, Dómine, précibus et intercessiónibus áduja, ut, quorum memóriam cólimus, fídei constántiam imitémur. Per Dóminum.

Pro S. Barnaba Ap.

### ORATIO

**D**eus, qui nos Beáti Bárnabæ Apóstoli tui méritis et intercessióne létificas: concéde, propítius; ut, qui tua per eum benefícia pósdimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

### SECRETA

**H**odiérnæ festivitatis oblationem, quásimus, Dómine, propítius respice, ut sicut fidem Mártyres tui Felix et Fortunátus próprio sanguine obsignáre non dubitáre, ita et nos eádem móribus et opéribus ostendámus. Per Dóminum.

Pro S. Barnaba Ap.

SECRETA

**M**únera, Dómine, obláta sanctifica, et, intercedente Beáto Bárnaba Apóstolo tuo, nos per hæc a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO

**I**nterveniéntibus, Dómine, sanctis Martyribus tuis, Felíce et Fortunáto Ecclésiæ tuæ, quæsumus, preces placátus admítte, et Sacraménta, quæ súmpsimus, ad æténam salútem nobis prodésse concéde. Per Dóminum.

Pro S. Barnaba Ap.

POSTCOMMUNIO

**S**úpplices te rogámus, omnípotens Deus; ut, quos tuis réficiis sacraméntis, intercedente Beáto Bárnaba Apóstolo tuo, tibi étiam plácitis móribus dignánter tríbuas deservíre. Per Dóminum.

¶ In finc, nisi sit in Dominica, legitur sequens Evangelium pro commemoratione S. Barnabae:

✖ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 10, 16-22

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Estóte ergo prudén-

tes sicut serpéntes, et símplies sicut colúmbæ. Cavéte autem ab homínibus. Tradent enim vos in concíliis, et synagógis suis flagellábunt vos: et ad præsides et ad reges ducémini propter me in testimónium illis et géntibus. Cum autem tradent vos, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini: dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater fílium: et insúrgent fílli in párentes, et morte eos affícient: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

Die 18 Junii

**B. GREGORII  
BARBADICI**  
EPISCOPI ET CONFESSORIS

Duplex

Missa STATUIT de Communi  
Conf. Pont. praeter orat. seq.

ORATIO

**D**eus, qui Beátum Gregórium Confessórem tuum, atque Pontíficem, pastoráli sollicitúdine, et páuperum miseratióne claréscere

voluísti: concéde, propítius;  
ut, cujus mérita celebrámus,  
caritatis imitémur exémpla.  
Per Dóminum.

Et fit comm. S. Ephraem Syri.

### ORATIO

**D**eus, qui Ecclésiam tuam  
Beáti Ephræm Confessó-  
ris tui et Doctóris mira erudi-  
tione et præcláris vitæ méritis  
illustráre voluísti: te, súpplices  
exorámus: ut, ipso interce-  
dente, eam advérsus erróris et  
pravitatis insídias perénni tua  
virtute deféndas. (Per Dómi-  
num).

Pro Ss. Marco et Marcelliano Mm.

### ORATIO

**P**ræsta, quásumus, omnípo-  
tens Deus: ut, qui sanctó-  
rum Mártirum tuórum Marci  
et Marcelliáni natalítia cóli-  
mus; a cunctis malis imminén-  
tibus, eórum intercessiónibus  
liberémur. Per Dóminum.

### SECRETA

**O** bláta tibi, Dómine, sacri-  
dona mystérii, Beáti Gre-  
górii méritis ac suffrágiis, ac-  
cépta reddántur et plenum o-  
peréntur in nobis divinæ vir-  
tutis effectum. Per Dóminum.

Pro S. Ephraem

### SECRETA

**S**ancti Ephræm Confessóris  
tui atque Doctóris nobis,  
Dómine, pia non desit orátio:  
quæ et múnera nostra concí-  
liet; et tuam nobis indulgén-  
tiam semper obtíneat. (Per  
Dóminum).

Pro Ss. Marco et Marcelliano Mm.

### SECRETA

**M**únera tibi, Dómine, dicá-  
ta sanctífica: et, interce-  
déntibus sanctis Martyribus  
tuis Marco et Marcelliáno, per  
éadem nos placátus inténde.  
Per Dóminum.

### POSTCOMMUNIO

**Q**uásumus, omnípotens  
Deus: ut, sicut Beáto Gre-  
gório Confessóri tuo atque  
Pontífici, divíni Pastóris for-  
mam imitári tribuísti; ita nos,  
ejus imitatióne, dignos effí-  
cias, qui inter oves páscuæ tuæ  
perpétuo collocémur. Per Dó-  
minum.

Pro S. Ephraem

### POSTCOMMUNIO

**U**t nobis, Dómine, tua sacri-  
ficia dent salútem: Beá-  
tus Ephræm Conféssor tuus et  
Doctor egrégious, quásumus,  
precátor accédat. (Per Dómi-  
num).

Pro Ss. Marco et Marcelliano Mm.

### POSTCOMMUNIO

**S**alutáris tui, Dómine, múnemus; re satiáti, súpplices exorámus; ut, cujus lætámur gustu, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Marco et Marcelliano, renovémur efféctu. Per Dóminum.

Die 4 Julii

### S. THEOBALDI

CONFESSORIS

Duplex

Missa JUSTUS  
de Communi Conf. non Pont.

ORATIO

**D**eus, qui Beátum Theobálđum Confessórem tuum terréna quæque solitáriæ et pœniténti vitæ postpónere, Tibique soli adhærére docuísti: concéde, propítius; ut, ejus intercessióne et exémplo, a mundi consórtio segregáti, dignos pœniténtiæ fructus faciámus. Per Dóminum.

Pro Octava Ss. App.

ORATIO

**D**eus, qui odiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martyrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ, eórum in óm-

nibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exordium. Per Dóminum.

### SECRETA

**P**ræsta nobis, quæsumus, omnípotens Deus, ut nostræ humilitátis oblátio et protúorum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos cōpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

Pro Octava Ss. App.

### SECRETA

**H**óstias, Dómine, quas nōmini tuo sacrándas offérimus, apostólica prosequáтур orátio: per quam nos expiátríbuas et deféndi. Per Dóminum.

### POSTCOMMUNIO

**Q**uæsumus, omnípotens Deus: ut, qui cælestia aliménta percépimus, intercénte Beáto Theobaldo Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Pro Octava Ss. App.

### POSTCOMMUNIO

**Q**uos cælesti, Dómine, alimento satiásti: apostólicis intercessiónibus ab omni adversitéte custódi. Per Dóminum.

**Die 15 Julii  
In Solemnitate  
SS. REDEMPTORIS**

Duplex II classis

INTROITUS

Isaia 61

**G**áudens gaudébo in Dómino, et exsultávit áнима mea in Deo meo: quia índuit me vestiméntis salútis, et induménto justítiae circúmdedit me.

Ps. 88. — Misericórdias Dómini in ætérmum cantábo, in generatiómem et generatiómem.

**V. Glória Patri.**

ORATIO

**D**eus, qui Unigénitum tuum mundi Redemptórem constituísti, et per eum, devícta morte, nos misericórditer ad vitam reparásti: concéde; ut, hæc benefícia recoléntes, tibi perpétua caritáte adhære-re, et ejúsdem redemptiónis fructum percípere mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit comm. S. Henrici Imp. Conf.

ORATIO

**D**eus, qui hodiérna die Beátum Henrícum confessórem tuum e terréni culmine impérii ad regnum ætérmum transtulísti: te, súpplices exorámus; ut, sicut illum, grátiae

tuæ ubertáte prævénatum, illé-cebras sæculi superáre fecísti, ita nos fáciás, ejus imitatióne, mundi hujus blandiménta vi-táre, et ad te puris méntibus pervenire. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ Beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Ephes. I, 1-10

**B**enedictus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cæ-léstibus in Christo; sicut elégit nos in ipso ante mundi costi-tutiómem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in charitáte; qui prædestinávit nos in adoptiómem filiórū per Jesum Christum in ipsum, se-cúndum propósitum voluntá-tis suæ, in laudem gloriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo, in quo habémus redemptiónem per Sán-guinem ejus, remissiónem pec-catórum, secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabúnda-vit in nobis, in omni sapiéntia et prudéntia: ut notum fáceret nobis sacraméntum voluntátis suæ, secúndum beneplácitum ejus, quod propósuit in eo.

GRADUALE

Ps. 85

Omnes gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dómine, et glorificá-bunt nomen tuum.

V. Quóniam magnus es tu,  
et fáciens mirabília: tu es Deus  
solus. Allelúja, allelúja.

V. Ps. 73. — Deus autem  
Rex noster ante sæcula, operá-  
tus est salútem in médio terræ.  
Allelúja.

¶ Sequéntia sancti Evangélii  
secúndum Joánnem.

Joann. 3. 13-18

In illo témpore: Dixit Jesus Nicodémo: Nemo ascéndit in cælum, nisi qui descéndit de cælo, Fílius hóminis, qui est in cælo. Et sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto, ita exaltári opórtet Fílium hóminis: ut omnis, qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum Unigénitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. Non enim misit Deus Fílium suum in mundum, ut júdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicátur: qui autem non credit, jam judicátus est: quia non credit in nómine Unigéniti Fílli Dei.

Credo.

OFFERTORIUM

Salus pôpuli ego sum, dicit  
Dóminus: de quacúmque  
tribulatióne clamáverint ad  
me, exáudiam eos: et ero illó-

rum Deus in perpétuum. Alle-  
lúja.

SECRETA

S úscipe, quæsumus, Dómine,  
oblátum redemptiónis æ-  
térnæ mystérium, et præsta:  
ut, Unigéniti Fílii tui gloriósis  
méritis intercedéntibus, vivífi-  
cat nos semper, et muniat. Per  
eúmdem.

Pro S. Henrico

SECRETA

L audis tibi, Dómine, hóstias  
immolámus in tuórum  
commemoratióne Sanctórum:  
quibus nos et præséntibus éxui  
malis confídimus et futúris.  
Per Dóminum.

PRAEFATIO DE CRUCE

COMMUNIO

Ps. 106

C onfiteántur Dómino mise-  
ricórdiæ ejus, et mirabília  
ejus, fíliis hóminum. Allelúja.

POSTCOMMUNIO

C órporis tui sacri, ac pretiò-  
si Sanguinis, quo redém-  
pti sumus, Dómine, Jesu Chri-  
ste, partícipes effécti, quæsu-  
mus: ut in nobis tua múnera  
tueáris atque a præséntis vitæ  
malis eréptos, ad bona perdú-  
cas sempitérana: Qui vivis et  
regnas.

Pro S. Henrico

### POSTCOMMUNIO

**R**efécti cibo potúque cælesti,  
Deus noster, te súpplices  
exorámus: ut, in cujus hæc  
commemoratióne percépimus,  
ejus muniámur et précibus. Per  
Dóminum.

Die 7 Augusti

**S. CAJETANI**  
**THIEN. VICET.**  
CONF. ET CIVITAT.  
PATRONI MIN. PRINC.

Duplex II classis

INTROITUS

Ps. 72

**M**ichi autem adhærére  
Deo bonum est: pónere in Dómino Deo  
spem meam.

Ps. ibid. — Quam bonus Is-  
raël Deus iis, qui recto sunt  
corde!

**V. Glória Patri.**

### ORATIO

**D**eus, qui Beáto Cajetáno  
Confessóri tuo Apostóli-  
cam vivéndi formam imitári  
tribuísti; da nobis, ejus inter-  
cessióne et exémplo in Te sem-  
per confídere, et sola cælestia  
desideráre. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Donati Ep. et M.

### ORATIO

**D**eus, tuórum glória sacer-  
dótum: præsta, quæsu-  
mus; ut Sancti Mártiris tui et  
Epíscopi Donáti, cujus festa  
gérimus, sentiámus auxílium.  
Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli  
Apóstoli ad Timóthæum.

Timoth. 6, 6-13

**C**aríssime: Est quæstus ma-  
gnus pietas cum sufficién-  
tia. Nihil enim intúlimus in  
hunc mundum: haud dúbium,  
quod nec auférre quid pòssu-  
mus. Habéntes autem alimén-  
ta et quibus tegámur, his con-  
ténti simus. Nam qui volun-  
dívites fieri, ícidunt in tenta-  
tionem, et in láqueum diáboli,  
et desidéria multa inutília et  
nocíva, quæ mergunt hómines  
in intéritum et perditiónem.  
Radix enim ómnium malórum  
est cupíditas; quam quidam  
appeténtes, erráverunt a fide,  
et inseruérunt se dolóribus  
multis. Tu autem, o homo Dei,  
hæc fuge; sectáre vero justí-  
tiam, pietátem, fidem, charitá-  
tem, patiéntiam, mansuetúdi-  
nem. Certa bonum certámen  
fídei, apprehénde vitam æter-  
nam.

## GRADUALE

Ps. 124

**Qui confídunt in Dómino,**  
sicut mons Sion: non commo-  
vébitur in æténum, qui hábi-  
tat in Jerúsalem.

**V.** Montes in circúitu ejus,  
et Dóminus in circúitu pópuli  
sui ex hoc nunc et usque in sæ-  
culum. Allelúja, allelúja.

**V.** Ps. 36. — Spera in Dó-  
mino, et fac bonitátem, et in-  
hábita terram, et pascéris in  
divítiis ejus. Allelúja.

Post Septuagesimam omissis Alle-  
luja et **V.** dicitur:

## TRACTUS

Ps. 61

**Ipse Deus meus, et Salvátor**  
meus; adjútor meus, non emi-  
grábo.

**V.** In Deo salutáre meum, et  
glória mea: Deus auxílii mei,  
et spes mea in Deo est.

**V.** Speráte in eo omnis con-  
gregátio pópuli, effúndite co-  
ram illo corda vestra.

Temp. Pasch. omissio Graduale  
dicitur:

**Allelúja, allelúja.** Ps. 36

**Spera in Dómino, et fac bo-**  
nitátem: et inhábita terram, et  
pascéris in divítiis ejus. Alle-  
lúja.

**V.** Ps. 61. — Speráte in eo  
omnis congregátio pópuli, ef-  
fúndite coram illo corda vestra.  
Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii  
secúndum Matthæum.

Matth. 6, 24-34

**I**n illo témpore: Dixit Jesus  
discípulis suis: Nemo potest  
duóbus dóminis servíre; aut e-  
ním unum ódio habébit, et ál-  
terum díliget; aut unum susti-  
nébit, et álterum contémnet.  
Non potéstis Deo servíre et  
mammónæ. Ideo dico vobis, ne  
sollíciti sitis ánimæ vestræ  
quid manducétis, neque córpo-  
ri vestro quid induámini. Non-  
ne áнима plus est quam esca,  
et corpus plúsquam vestimén-  
tum? Respícite volatília cæli,  
quóniam non serunt, neque  
cóngregant in hórrea; et Pater  
vester cælestis pascit illa. Non-  
ne vos magis pluris estis illis?  
Quis autem vestrum cónsigit  
potest adjícere ad statúram  
suam cùbitum unum? Et de  
vestiménto quid sollíciti estis?  
Consideráte lília agri, quómo-  
do crescunt: non labórant, ne-  
que nent. Dico autem vobis,  
quóniam nec Sálomon in omni  
glória sua coopératus est, sicut  
unum ex istis. Si autem fœnum  
agri, quod hódie est, et cras in  
clíbanum míttitur, Deus sic  
vestit; quanto magis vos mó-  
dicæ fídei? Nolíte ergo sollíciti  
esse, dicéntes: Quid manducá-  
bimus aut quo operiémur?  
Hæc enim ómnia Gentes inqui-  
runt. Scit enim Pater vester,

quia his ómnibus indigétis.  
Quærite ergo primum regnum  
Dei, et justítiā ejus, et hæc  
ómnia adjiciéntur vobis.

OFFERTORIUM Ps. 61

**S**peráte in eo omnis congre-  
gátio pòpuli; effúndite co-  
ram illo corda vestra: Deus a-  
djútor noster in ætérnum.

SECRETA

**D**a nobis, quæsumus, Dómi-  
ne, sacra hæc mystéria eo  
spíritus et mentis ardóre perá-  
gere, quo sanctus tuus Confés-  
sor Cajetánus ipsa tractándo  
flagrábat. Per Dóminum.

Pro S. Donato

SECRETA

**P**ræsta, quæsumus, Dómine:  
ut sancti Mártyris tui et  
Epíscopi Donáti intercessióne,  
quem ad laudem nóminis tui  
dicátis munéribus honorámus;  
piæ nobis fructus devotiónis  
accréscat. Per Dóminum.

COMMUNIO Ps. 117

**B**onum est confídere in Dó-  
mino, quam confídere in  
hómīne: bonum est speráre in  
Dómino, quam speráre in prin-  
cipib⁹.

POSTCOMMUNIO

**Q**uos cælesti, Dómine, pá-  
bulo satiásti, Sancti Caje-  
táni Confessóris tui interve-  
niénte suffrágio, cælestis Pro-

vidéntiæ præsídia sentíre, et  
ad sempitérna jùgiter aspiráre  
concéde. Per Dóminum.

Pro S. Donato

POSTCOMMUNIO

**O**mnipotens et misericors  
Deus, qui nos sacramen-  
tórum tuórum et partícipes éf-  
ficiis et minístros: præsta, quæ-  
sumus; ut, intercedénte Beáto  
Donáto Mártyre tuo atque  
Pontífice, ejúsdem proficiá-  
mus et fídei consórtio et digno  
servítio. Per Dóminum.

Die 18 Augusti

**B. RAYNALDI**

EP. VICET. ET CONF.

Duplex

Missa SACERDOTES  
de Comm. Conf. Pontif.  
ORATIO

**D**eus, qui Beátum Raynál-  
dum Confessórem tuum  
atque Pontíficem sin-  
gulári ad conciliándam pacem,  
morésque reformándos pru-  
déntia et zelo decorásti; ejus;  
nobis intercessióne concéde:  
ut, melióra charísmata æmu-  
lantes, quæ tibi sunt únice plá-  
cita inquirere non desinámus.  
Per Dóminum.

Pro Octava Assumptionis

### ORATIO

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui immaculatam Virginem Mariam, Filii tui Genitricem, corpore et anima ad caelestem gloriam assumpsisti; concede quæsumus, ut ad superna semper intenti, ipsius gloriae mereamur esse consortes. (Per eumdem Dominum).

Pro S. Agapito Mart.

### ORATIO

**L**aetetur Ecclesia tua, Deus, Beati Agapiti Martyris tui confisa suffragiis: atque, ejus precibus gloriiosis, et devota permaneat et secura consistat. Per Dominum.

### SECRETA

**B**eahti Raynaldi Confessoris tui atque Pontificis, quæsumus, Domine, annua solennitas pietati tuæ nos reddat acceptos: ut, per haec piæ placationis officia, et illum beatæ retributio comitetur, et nobis gratiae tuæ dona conciliet. Per Dominum.

Pro Octava Assumptionis

### SECRETA

**A**scendat ad Te, Domine, nostræ devotionis oblatio, et, beatissima Virgine Maria in caelum assumpta inter-

cedente, corda nostra, caritatis igne succensa, ad Te jupiter adspírent. (Per Dominum).

Pro S. Agapito Mart.

### SECRETA

**S**uscipe, Domine, munera quæ in ejus tibi solemnitate deferimus: cuius nos confidimus patrocínio liberari. Per Dominum.

### POSTCOMMUNIO

**D**eus, fidélium remunerátor animarum: præsta; ut beati Raynaldi Confessoris tui atque Pontificis, cuius venerandam celebrámus festivitatem, precibus indulgentiam consequámur. Per Dominum.

Pro Octava Assumptionis

### POSTCOMMUNIO

**S**umptis, Domine, salutibus sacramentis, da quæsumus ut, méritis et intercessione beatæ Virginis Mariæ in caelum assumptæ, ad resurrectionis gloriam perducámur. (Per Dominum).

Pro S. Agapito Mart.

### POSTCOMMUNIO

**S**atiasti, Domine, familiam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventione nos réfove, cuius solennia celebrámus. Per Dominum.

**Die 20 Augusti**

**Ss. LEONTII  
ET CARPOPHORI  
MARTYRUM  
PATRONI MIN. PRINC.**

Duplex majus

Missa

**SAPIENTIA SANCTORUM  
de Communi plur. Martyr.**

ORATIO

**D**eus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Leónții et Carpóphori natalítia cólere: da nobis in ætérrna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Pro S. Bernardo Abb. Conf.

ORATIO

**D**eus, qui pôpulo tuo ætérrnæ salútis beátum Berñárdum minístrum tribuísti: præsta, quásumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. (Per Dóminum).

Pro Octava Assumptionis

ORATIO

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui immaculátam Vírginem Maríam, Fílli tui Genitricem, córpore et ánima ad cælestem glóriam assumpsísti;

concéde quásumus, ut ad supérna semper inténti, ipsíus glóriæ mereámur esse consórtes. (Per eúmdem Dóminum).

SECRETA

**M**únera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre Justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Pro S. Bernardo Abb. Conf.

SECRETA

**S**ancti Bernárdi Confessóris tui atque Doctóris nobis, Dómine, pia non desit orátió: quæ et múnera nostra concíliet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. (Per Dóminum).

Pro Octava Assumptionis

SECRETA

**A**scéndat ad Te, Dómine, nostræ devotiónis oblátio, et, beatíssima Vírgine María in cælum assúmpta intercedénte, corda nostra, caritatis igne succénsa, ad Te júgiter adspírent. (Per Dóminum).

POSTCOMMUNIO

**P**ræsta nobis, quásumus, Dómine: intercedéntibus sancti Martyribus tuis Leónțio et Carpóphoro; ut, quod ore con-

tíngimus, pura mente capiá-mus. Per Dóminum.

Pro S. Bernardo Abb. Conf.

#### POSTCOMMUNIO

**U**t nobis, Dómine, tua sa-crifícia dent salútem: Beátus Bernárdus Conféssor tuus et Doctor egrégius, quæ-sumus, precátor accédat. (Per Dóminum).

Pro Octava Assumptionis

#### POSTCOMMUNIO

**S**umptis, Dómine, salutári-bus sacraméntis, da quæ-sumus ut, méritis et interces-sióne beátæ Vírginis Maríæ in cælum assúmptæ, ad resurrec-tiónis glóriam perducámur. (Per Dóminum).

Die 25 Augusti

#### APPARIT. B. M. V. in Monte Berico

Duplex II classis

Missa SALVE, SANCTA PA-RENS, ut in Votivis B.M.V. a Pent. ad Advent.

#### ORATIO

**O**mnipotens et misericors Deus, qui Beátæ Maríæ Vírginis opem in no-stris necessitáibus contulísti; ejúsdem méritis et intercessió-ne concéde: ut, qui in illius pie-

táte confídunt, ab ómnibus tueántur advérsis, et, Te miseránte, vitam cónsequi mereán-tur ætérnam. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Ludovici Reg. Conf.

#### ORATIO

**D**eus, qui Beátum Ludoví-cum Confessórem tuum de terréno regno ad cælestis regni glóriam transtulísti: ejus, quæsumus, méritis et in-tercessióne; Regis regum Jesu Christi, Filii tui, fáciás nos es-se consórtes: (Qui tecum vivit et regnat).

Pro gratiarum actione

#### ORATIO

**D**eus, cujus misericórdiæ non est númerus, et bo-nitatis infinítus est thesáurus: piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam ex-orántes: ut, qui peténtibus po-stuláta concédis, eósdem non déserens, ad præmia futúra di-spónas. Per Dóminum.

#### SECRETA

**T**ua, Dómine, propitiatióne, et Beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad per-pétuam atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat pros-pe ritátem et pacem. Per Dómi-num.

Pro S. Ludovico Rege Conf.

SECRETA

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, sicut Beatus Ludovicus Confessor tuus, spretis mundi oblectaméntis, soli Regi Christo placére stúduit; ita ejus oráto nos tibi reddat accéptos. (Per eúmdem Dóminum).

Pro gratiarum actione

SECRETA

**O**dórem, Dómine, sacrificii hujus cum gratiarum actionibus súscipe, et præsta: ut, quos exaudíre et incólumes serváre dignátus es, ab omni in pósterum adversitáte custódias; et in tuo servítio et amóre concréscant. Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO

**S**umptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis; da, quæsumus, Beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi; in cuius veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Pro S. Ludovico Rege Conf.

POSTCOMMUNIO

**D**eus, qui beátum Confessorem tuum Ludovicum mirificásti in terris et gloriósum in cælis fecísti: eúmdem, quæsumus, Ecclésiæ tuæ con-

stítue defensórem. (Per Dóminum).

Pro gratiarum actione

POSTCOMMUNIO

**D**eus, qui néminem in te sperántem nímium afflígí permíttis, sed piúm précibus præstas audítum: pro postulatióibus nostris, votísque suscéptis, grárias ágimus, te piissime deprecántes; ut, per hæc, quæ súmpsimus, a cunctis éripi mereámur advérsis. Per Dóminum.

Die 3 Septemboris

IN FESTO B. PII X

PAPAE ET CONFESSORIS

Duplex

Missa SI DILIGIS ME,  
de Comm. Summorum Pontificum

ORATIO

**D**eus, qui ineffábili providéntia beáto Pio Summo Pontífici contulísti, ut Ecclésiam tuam mira suavitáte ac fortitúdine gubernáret atque ómnium virtútum splendóre illustráret: da Familiæ tuæ supplicánti; ejus semper patrocínio muníri et exémpla sectári. Per Dóminum.

## SECRETA

**O**blatis munéribus, quæsumus, Dómine, Ecclésiam tuam benígnus illúmina: ut, et gregis tui profíciat ubíque succéssus, et grati fiant nómini tuo, te gubernánte, pastóres. Per Dóminum.

## POSTCOMMUNIO

**R**efectióne sancta enutrítam gubérna, quæsumus, Dómine, tuam placátus Ecclésiam: ut poténti moderatóne dirécta, et increménta libertáris accípiat et in religiónis integrítate persístat. Per Dóminum.

Die 16 Septembris

Ss. EUPHEMIAE  
ET INNOCENTIAE  
VV. ET MM.

Duplex

INTROITUS Ps. 17, 31

**D**eus, meus, impollúta via ejus: elóquia Dómini igne examináta: protéctor est ómnium s perántium in se. (T. P. Allelúja, allelúja).

Ps. ibid., 2-3. — Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus.

V. Glória Patri.

## ORATIO

**D**a nobis, quæsumus, Dómine, Deus noster, beatárum Euphémiæ et Innocéntiæ Vírginum et Mártirum tuárum palmas incessábili devotióne venerári: ut, quas dignamente celebráre non pòssumus, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Pro Ss. Cornelio Pp.  
et Cypriano Ep. et Mart.

## ORATIO

**B**eatórum Mártirum paritéque Pontíficum Cornélii et Cypriáni nos, quæsumus, Dómine, festa tueántur: et eórum comméndet orátió veneránda.

Pro Ss. Euphemia Virg.  
Lucia et Geminiano Mm.

## ORATIO

**P**ræsta, Dómine, précibus nostris cum exsultatióne provéntum: ut sanctórum Mártirum Euphémiæ, Lúciæ et Gemiñáni, quorum diem passiónis ánnua devotióne recólimus, étiam fídei constán-tiam subsequámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

2 Cor. 4, 6-11 et 16-17

**F**ratres: Deus illúxit in córdibus nostris ad illumina-tiónem sciéntiæ claritátis Dei,

in fácie Christi Jesu. Habémus autem thesárum istum in vasis fictílibus: ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatióne pátimur, sed non angustiámur: aporiámur, sed non destitúimur: persecutióne pátimur, sed non derelínquimur: dejici- mur, sed non perímus: semper mortificatióne Jesu in córpo- re nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris. Semper enim nos, qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum: ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. Propter quod non defícimus: sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpá- tur: tamen is, qui intus est renovátur de die in diem. Id enim, quod in præsénti est mo- mentáneum et leve tribulatió- nis nostræ, supra modum in sublimitáte æténum glóriæ pondus operátur in nobis.

## GRADUALE

Ps. 43, 8-9

Salvásti enim nos, Deus, de affligéntibus nos: et odiéntes nos confudísti.

¶. In Deo laudábimur tota die: et in nómine tuo confité- bimur in sǽculum.

Allelúja, allelúja.

¶. Apoc. 12, 11. — Vicérunt dracónem propter sanguinem Agni, et propter verbum testi- mónií sui. Allelúja.

Post Septuagesima, omissis Alle- lúja, et Versu sequenti, dicitur:

## TRACTUS

Ps. 144, 5-7

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ, Dómine, loqué- tur: et mirabília tua narrá- bunt.

¶. Et virtútem terribílium tuórum dicent: et magnitúdi- nem tuam narrábunt.

¶. Memóriam abundántiæ suavitatis tuæ eructábunt: et justitia exsultábunt.

Tempore autem Paschali omitti- tur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

¶. Apoc. 12, 11. — Vicérunt dracónem propter sanguinem Agni, et propter verbum testi- mónií sui. Allelúja.

¶. Sap. 4, 1 et 2. — Casta ge- nerátió in perpétuum coronáta triúmphat, in coinquinatórum certáminum práemium vin- cens. Allelúja.

¶ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cæ- lórum decem virgínibus: quæ, accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviām sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes. Sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt

óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormita-vérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte, clamor factus est: Ecce, sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ extinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non suffíciat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émitte vobis. Dum autem irent émerere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniant et reliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen, di-co vobis, néscio vos. Vigiláte itaque, quia nescítis diem neque horam.

In Eccl. Cathedr. dicitur CREDO.

OFFERTORIUM Ps. 88, 16-17

Dómine, in lúmíne vultus tui ambulábunt, et in nómine tuo exsultábunt tota die: et in justitia tua exaltabúntur.

T. P. Allelúa.

SECRETA

Inténde, quæsumus, Dómine, múnera altáribus tuis pro beatárum Vírginum et Már-

tyrum tuárum Euphémiae et Innocéntiæ festivitaté propó-sita: ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulí-sti; ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Pro Ss. Cornelio Pp.  
et Cypriano Ep. et Mart.

SECRETA

A désto, Dómine, supplica-tiόnibus nostris, quas in Sanctórum tuórum commemo-ratiōne deférimus: ut, qui nostræ justitiæ fidúciam non habémus, eórum, qui tibi placuérunt, méritis adjuvémur.

Pro Ss. Euphemia Virg.  
Lucia et Geminiano Mm.

SECRETA

V ota populi tui, quæsumus, Dómine, propítius intén-de: et, quorum nos tríbus so-lémnia celebráre, fac gaudére suffrágiis. Per Dóminum.

COMMUNIO

Matth. 25, 4

Prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbvium ei. (T. P. Allelúa).

POSTCOMMUNIO

Præsta nobis, quæsumus, Dómine, intercedéntibus beátis Virgínibus et Martyri-

bus tuis Euphémia et Innocéntia, ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Pro Ss. Cornelio Pp.  
et Cypriano Ep. et Mart.

#### POSTCOMMUNIO

**Q**uásumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut, quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur.

Pro Ss. Euphemia Virg.  
Lucia et Geminiano Mm.

#### POSTCOMMUNIO

**E**xáudi, Dómine, preces nostras: et sanctórum Mártyrum tuórum Euphémiae, Lúciæ, et Geminiáni, quorum festa solémniter celebrámus, contínuis foveámur auxíliis. Per Dóminum.

Die 21 Octobris

#### Ss. URSULÆ ET SOCIARUM

VV. ET MM.

Duplex

(In Ecclesiis Cathedrali et S. Coronae dicitur CREDO).

Missa DEUS, MEUS de Communi Plurium Virginum, ut supra fol. 24, cum Orationibus ut infra:

#### ORATIO

**D**a nobis, quásumus, Dómine, Deus noster, beatárum Ursulæ et Sociá-

rum Vírginum et Mártyrum tuárum ejus palmás incessábili devotióne venerári: ut, quas digna mente celebráre non pójsumus, humílibus saltem frequentémus obséquis. Per Dóminum.

Et fit Comm. S. Hilarionis Abb.

#### ORATIO

**I**ntercéssio nos, quásumus, Dómine, beáti Hilariónis Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

#### SECRETA

**I**nténde, quásumus, Dómine, múnera altáribus tuis pro beatárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus festivitáte propósta: ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti: ita nobis indulgentiam lariáris. Per Dóminum.

Pro S. Hilarione Abbe

#### SECRETA

**S**acris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Hiláron Abbas, quásumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

## POSTCOMMUNIO

**P**ræsta nobis, quæsumus, Dómine, intercedéntibus beáti Virgínibus et Martyribus tuis Ursula et Sociábus ejus; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Pro S. Hilarione Abbe

## POSTCOMMUNIO

**P**rótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti, beátus Hilárion Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insignia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Die 5 Novembris

IN  
COMMEMORATIONE  
SANCTORUM

QUORUM RELIQUIAE  
IN ECCLESIIS ASSERVANTUR

Duplex majus

Missa SAPIENTIAM  
de Communi plur. Mm.  
Dicitur CREDO, ratione Octavae.

## ORATIO

**A**uge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ par-

tícipes, cujus in eórum cinéribus pignora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavae  
Omnium Sanctorum

## ORATIO

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quæsumus; ut, desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

## SECRETA

**I**mplorámus, Dómine, clementiam tuam, ut Sanctórum tuórum, quorum Relíquias venerámur, suffragántibus méritis, hostia, quam offérimus, nostrórum sit expiatio delictórum. Per Dóminum.

Pro Octava Omnia Sanctorum

## SECRETA

**M**únera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro cunctórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miserante, reddántur. Per Dóminum.

## POSTCOMMUNIO

**M**ultípla super nos, quæsumus, Dómine, per hæc sancta, quæ súmpsimus, misericordiam tuam: ut, sicut in

**tuórum solemnítáte Sanctórum, quorum Relíquias cólimus, pia devotíone létámur, ita eórum perpétua societáte, te largiénte, fruámur. Per Dóminum.**

Pro Octava Omnia Sanctorum

### POSTCOMMUNIO

**D**a, quásumus, Dómine, fidélibus pópolis ómnium Sanctórum semper veneratióne létári: et eórum perpétua supplicatióne muníri. Per Dóminum.

Die 7 Novemboris

### S. PROSDOCIMI

PROTOEPISCOPI VICETINI

Duplex majus

Missa STATUIT

de Comm. Conf. Pont.

Dicitur CREDO, ratione Octavae.

### ORATIO

**D**a, quásumus, omnípotens Deus: ut, beáti Prosdócimi Confessóris tui atque Pontíficis veneranda solémnitas, et devotíonem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavae  
Omnia Sanctorum

### ORATIO

**O**mniótens sempitérne Deus, qui nos Omnia Sanctórum tuórum mérita sub

una tribuísti celebritáte venerári: quásumus; ut, desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

### SECRETA

**S**ancti tui, quásumus, Dómine, nos ubique létificent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Pro Octava Omnia Sanctorum

### SECRETA

**M**únera tibi, Dómine, nostræ devotíonis offérimus: quæ et pro cunctórum tibi grata sint honore justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

### POSTCOMMUNIO

**P**ræsta, quásumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Prosdócimo Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potíora sumámus. Per Dóminum.

Pro Octava Omnia Sanctorum  
POSTCOMMUNIO

**D**a, quásumus, Dómine, fidélibus pópolis Omnia Sanctórum semper veneratióne létári: et eórum perpétua supplicatióne muníri. Per Dóminum.

**Die 16 Novembris**

**S. LEONTII**

EP. VICET. ET MART.

Duplex

Missa STATUIT  
de Communi Unius Martyris

ORATIO

**I**nfirmitátem nostram résponde, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiōnis gravat, beáti Leóntii Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Et fit Comm. S. Gertrudis Virg.

ORATIO

**D**eus, qui in corde beatæ Gertrúdis Vírginis jucundam tibi mansiónem præparásti: ipsius méritis et intercessióne; cordis nostri máculas cleménter abstérge, et ejusdem tríbue gaudére consórtio. Per Dóminum.

SECRETA

**H**óstias tibi, Dómine, beáti Leóntii Mártyris tui atque Pontíficis dicátas méritis, benígnus assúme et ad perpé-

tuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Pro Sancta Gertrude Virg.

SECRETA

**A**ccépta tibi sit, Dómine, sacratæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO

**R**efécti participatióne múnēris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, cuius exséquimur cultum, intercéidente beáto Leóntio Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Pro Sancta Gertrude Virg.

POSTCOMMUNIO

**S**atiásti, Dómine, familiam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cuius solémnia celebrámus. Per Dóminum.



# INDEX

## APPENDICIS PRO DIOECESI VICENTINA

---

Die 22 Januarii	S. VINCENTII Mart. . . . .	Pag. 1
» 29 »	IN OCTAVA S. VINCENTII Mart. . . . .	» 3
» 17 Februarii	Ss. DONATI ET SOC. Mm. . . . .	» 4
» 1 Martii	B. JOANNÆ M. BONOMO Virg. . . . .	» 5
» 16 »	B. JOANNIS DE SURDIS Ep. et Conf. . . . .	» 5
» 20 »	B. MARCI DE MONTE GALLO Conf. . . . .	» 6
» 22 »	S. LEONTII Ep. et Conf. . . . .	» 6
» 23 »	B. ISNARDI DE CLAMPO Conf. . . . .	» 6
» 3 Aprilis	B. BARTHOLOMÆI DE BREGANTIIS Ep. et Conf. . . . .	» 7
» 15 »	B. LAURENTINI SOSSII Mart. . . . .	» 7
» 4 Maii	S. FLORIANI Mart. . . . .	» 10
» 21 »	Ss. HADRIANI ET CLEMENTIS Mm. . . . .	» 11
» 11 Junii	Ss. FELICIS ET FORTUNATI Mm. . . . .	» 11
» 18 »	B. GREGORII BARBADICI Ep. et Conf. . . . .	» 12
» 4 Julii	S. THEOBALDI Conf. . . . .	» 14
» 15 »	SS. REDEMPTORIS . . . . .	» 15
» 7 Augusti	S. CAJETANI THIEN. VICENT. Conf. . . . .	» 17
» 18 »	B. RAYNALDI Ep. et Conf. . . . .	» 19
» 20 »	Ss. LEONTII ET CARPOPHORI Mm. . . . .	» 21
» 25 »	APPARIT. B. M. V. in M. BERICO . . . . .	» 22
» 3 Septembbris	B. PII X Papae et Conf. . . . .	» 23
» 16 »	Ss. EUPHEMIÆ ET INNOCENTIÆ Vv. et Mm. . . . .	» 24
» 21 Octobris	Ss. URSULÆ ET SOC. Vv. et Mm. . . . .	» 27
» 5 Novembbris	IN COMMEM. SANCTORUM . . . . .	» 28
» 7 »	S. PROSDOCIMI Ep. et Conf. . . . .	» 29
» 16 »	S. LEONTII Ep. et Mart. . . . .	» 30

Praesentes Missae Sanctorum pro Dioecesi Vicentina concordant cum originalibus.

Vicentiae, die 10 Januarii 1953.

CANONICUS ROBERTUS ADDA  
*Sacrarum caeremoniarum Magister*

IMPRIMATUR

Vicentiae, die 12 Januarii 1953.

† CAROLUS ZINATO  
EPISCOPUS